

nitus per comune Tergesti de dicto consimili membro quod truncavit, et si quo tempore veniret in forciam comunis obtruncetur eidem simile membrum, excepto si ille malefactor dicti membri probare poterit cum tribus vel duobus testibus ydoneis, qui ibidem presentes fuerint [et] viderint, quod illud malefitium fecerit defendendo suam personam; tunc nullam penam paciatur. ¶ Salvo quod talis malefactor, si se concorderit cum leso ipsius membri manchi, quod possit et valeat venire in civitate Tergesti. ¶ Salvo quod contra testes qui probarent quod talem membrum obtruncharet defendendo suam personam, possit probari per duellum, ut supra contra testes omicidii specificatum est. ¶ Si vero aliquis percusserit aliquem civem Tergesti, ex qua percussione debilitaret aliquod membrum de membris infra scriptis, componat in comuni libras centum par. ¶ Membra vero sunt hec: scilicet quilibet oculus per se, nasus, quilibet manus per se, quilibet pes per se, et lingua.

Cap. VI. De vulneribus factis cum sanguine  
 122 A et alliis percussionibus // cum sanguine  
 et sine. R.ca.

S tatuimus quod, si quis civis Tergesti vulneraverit aliquem alium civem, tali vulnere quod vulneratus non perdat membrum aliquod, solvat in comuni Tergesti nomine pene libr. sexaginta par., si fuerit de die, et mittatur ad confines per quatuor mensses ultra Muglam et Duinum, et habeat libertatem standi ubicunque voluerit ultra et extra dictos confines, et solvat medicaturam leso, defendendo se pars adversa quod cum medico lesus non pepigerit fraudulenter; et si fecerit plura vulnera de die, solvat dictus malefactor a primo vulnere supradicto superius libr. viginti par. pro quolibet alio vulnere, et si non habuerit unde solvere condempnationes in eum factas, incidatur ei poles dexter apud palmam, et si non habuerit policem dextrum, tunc incidatur ei sinister polex. ¶ Si vero vulnus predictum unum vel plura commissum fuerit de nocte,